



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Do. XIII. post fe. pen. Eua[n]. Exie[n]s Iesus de finibus Matt. 7 Homiliæ  
duæ

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

beo, nisi quod honorem hunc mihi fauerunt superi. In no-  
stra lingua:

**I**ch bin ain man/ wie ain ander man/  
**D**an das mir Got der eeren gan.

¶ Dicit multa possent de denarijs, quæ ex singulis pen-  
duntur capitibus, & de decimis sceni, quæ in multis locis  
non persoluuntur. sed missa facio illa omnia, quando bre-  
uiter loquendo constat omnes decimas, quæ de more da-  
ri debent, dandas esse tam strictæ, quàm chara est sua coi-  
que conscientia & animæ propriæ salus. Nos interim  
oremus dominum &c.

**DOMINICA DE OCTA-  
CIMA TERTIA A FERIIIS PEN-**

*tecostes, euangelium*

*Marci VII.*



**I**n illo tēpore Exiens  
Iesus de finibus Ty-  
ri, uenit per Sidonē ad  
mare Galilææ, inter me-  
dios fines Decapoleos.  
Et adducunt ei surdum  
& mutum, & depreca-  
bantur eum, ut impo-  
nat illi manū. Et appre-  
hendens eum de turba  
seorsum, misit digitos  
suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguā  
eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi:  
**E**phera, quod ē, adaperire, & statim aperta sunt

aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius,  
 & loquebatur recte. Et præcepit illis, ne cui dice-<sup>Matth. 9</sup>  
 rent. <sup>12. 2. 17</sup> Quanto autem eis præcipiebat, tanto ma-  
 gis plus prædicabant, & eo amplius admiraban-<sup>Infra. 9</sup>  
 tur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit au-<sup>Luce. 9</sup>  
 dire, & muros loqui.

HOMILIA .I.

**O** infidelitatem Iudæorum secessit aliquantisper  
 dominus in ciuitates gentium, Tyrum & Sidonē.  
 ibiq; mulieris Chananææ filiam curauit, quæ ob-  
 sessa fuerat à dæmonio, sicut in euangelio dominicæ se-  
 cundæ in *Quadragesima* audistis. Non moratur autem, in  
 quit *Theophylactus*, diu in gentiliū locis dominus, sed *Theoph.*  
 statim transit, ne daret occasionem Iudæis dicendi, quod  
 præuaricaretur legem cohabitando gentilibus. Propere  
 naque in Iudæam rediit. Et hoc est quod ait euangelista:  
 Exiens de finibus Tyri, uenit per Sidonem. Ita undique  
 inuestigauit omnia dominus, tanquam mitissimus anima-  
 rum uenator, uenationem nanque designat Sidon. Et ue-  
 nit ad mare Galilææ intrer medios fines Decapoleos. Quo *Beda.*  
 uerbo euangelista dominum non ipsos, fines Decapole-  
 os intrasse significat, sed ad illum locū peruenisse, qui me-  
 dios fines Decapolis longe trans mare positos respiciebat,  
 ita nimirum, quod Galilæa in hac parte uersus nos posi-  
 ta erat, Decapolis autem in altera parte iuxta Hippus, seu  
 Hippuntem, Pellæā & Gadarā, ut ex *Prolemæo* facile col- *Ptole.*  
 ligitur. Quamuis autem hæc parum ædificent in populo,  
 tamen *Marcus* ideo circumstantias locorum descripsit, ut  
 tanq̄ uerus historicus, qui (ut ait ille) ueritatem ceu fili-  
 am sibi sumpsisset elocandam, plus fidei pararet suæ nar-  
 rationi, si etiā ipm loci sitū, ubi miraculū hoc factū est, com-  
 monstraret. Quamuis eius rei altera causa dari potest, ut  
 sic ipsis nominū appellationibus aliquid mystice significa-  
 retur, namq; fines Decapoleos hic obseruationem decalo-  
 gi respiciunt, sic enim illa præ oculis habere debemus, ut *Hierony.*

ciuitates istæ in conspectu posita erant maris huius **Ca-**  
**lilææ.** Obrulerunt autem ei statim hic surdum & mutum,  
 deprecantes ut imponat illi manum. Ecce tria. Adducunt  
 ægrotum, quoniam non a seipso suapte sponte ueniebat.  
 deprecantur etiam, ut imponeret illi manum: unde doce-  
 mur nos ducere ad dominum eos, qui imperfecti sunt, qui  
 ipsi suorum peccatorum liberam non habent facultatem,  
 & orare pro illis, quod officium maxime est prælatorum,  
 prædicatorum, & eorum quibus animarum cura deman-  
 data est, ut huiusmodi homines adducant ad dominum,

**psalm. 78.** dicente **Dauid:** Adferre domino filij dei, adferre domino  
 filios artetum. **Arietes** autem in sacris literis prælati sunt,  
 quorum interest gregem **Christianum** ducere ad domi-  
 nū. Multis ea non est gratia dei, ut possint sua sponte ueni-  
 re ad dominum, sed aliorum ope opus habent & admini-  
 culo, a quibus denique perducant ad deum. Atque hic ma-

**Intercef-  
 sio.**

gnum est fundamentum positum mutæ intercessionis,  
 quoniam non remere isti adduxerūt surdum & mutum  
 ad dominum, & orauerūt pro eo. **Surdus** porro hic erat,  
 non ualens audire, neque loqui, quia & mutus: quæ res plane  
 naturalis est, quoniam surdus auditu destitutus, discere  
 non potest quod loquatur. **At** hic peculiariter mutus ex-  
 titit, siquidem linguam habuit singulari quodam modo im-  
 peditam, ut deinceps dicemus. **Vinculum** autem linguæ  
 suæ solutum est, unde constat obsessum eum fuisse, neque  
 sic natum. unde & **Theophylactus** dicit, morbum hunc a deo  
 mone fuisse. **Beda** mysticū hic sensum rimatur, dicens  
 quod surdus & mutus is sit, qui nec aures audiendis dei uerbis,  
 nec os aperit proloquendis, & huiusmodi homines ad-  
 ducendi sint ad dominū, ut quos humana non poterat  
 fragilitas saluare, ille sua gratia curaret.

**Theoph.  
 Beda.**

**Marci. 16.**

¶ Magnitudo autē fidei hinc patet, quod impositionem ma-  
 nus tantū petebant, credentes illū sic sanū futurū. Et quā-  
 uis solo uerbo, imō & uoto & cogitatu poterat eum do-  
 minus curare, tamen ceremoniis & ritu externo uti uo-  
 luit, sicut etiam discipulis suis commisit imponere manus  
 infirmis ut melius haberent. **Confundant** ergo & uale-  
 ant sanctuli isti, qui nullis sibi uident indigere ceremoniis,  
 easque ideo quibus utitur ecclesia, derident & subsannant, ho-

mines scilicet spūales, qui si in hoc recte docerent & sentirent, quur obsecro Christus ijs usus fuisset? At nimirum decebat hic manuum adhiberi præsidia, quoniam omnia fecit & creauit manus domini, unde etiam salus omnis est & curatio, iuxta illud quod petijt Dauid: **Fiat manus tua domine super me, ut saluet me, quoniam mandata tua elegi.** Et deinceps: **Posuisti manum tuam super me, mirabilis facta est sciētia tua ex me.** Atq; eo pertinet illud Iob: **Obstetricante manu eius, educus est coluber tortuosus.** Multa alia sunt eius rei mysteria, quæ in ecclesia exhibentur, unde & quem absoluit sacerdos, manus capiti illius imponit.

Isaie. 66  
Psalm. 118

Psalm. 138  
Job. 26

2. ¶ Sequitur: **Et apprehendens eum de turba seorsum, misit &c.** Quo exemplo monemur nos seculi tumultus fugere, si modo salutem quærimus animarum. **Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.** Et quam diu quis hæret in inquietis & perturbatis cogitationibus, atq; inordinatis moribus seculi huius, non est quod salutem speret ex spū dei. Potest tamen ista segregatio etiam significare hoc, quod deus iustos secernit à peccatoribus per gratiam suam, sicut dixit Moyses ad populum, quando **Chore, Dathan & Abiron se commouerant aduersus ipsum & Aaron: Separamini à tabernaculis impiorum, ne forte & uos absorbeat infernus uiuos.** sic etiam segregauit dominus Paulum, ut ipse testatur, inquit: **Quum placuit ei qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus, continuo non acqui carni & sanguini.**

1. Cori. 15

Nume. 16

Galat. 1

¶ Ecce hic Paulus synagogam matrem suam uocat, in cuius fide educatus fuerat, sed ab ea separatus, peruenit ad confessionem fidei & nominis Christi. Secernit etiam dominus electos omnes à damnatione æterna, quoniam quum omnes homines ex una prodierunt massa perditionis, nati etiam filij iræ, deus autem quia ex ijs per misericordiam suam nonnullos exemptos seruat, hæc ipsa eorum segregatio est, sicut & corporaliter in die nouissimo exentes angeli, separabunt bonos à malis, dicēte dominot **Ecce** **gregabunt coram eo omnes gentes, & separabit eas sicut**

Matth. 25  
Matth. 27

L L

**Chrylost.** pastor segregat oves ab hædis. **O**ter quaterq; felicem, qui tunc à domino adferet numero beatorum. **Chrylostomus** hic ait, dominum docuisse nos uanam gloriam contēnere, quādo seorsum duxit mutum illum, quoniam habere humilitatem præstat miraculis.

**1.** ¶ Quū iam seorsum abduxisset dñs mutū istū & surdū, misit digitos suos in auriculas eius, & expuēs tetigit linguā eius, & suspiciēs in cælū ingemuit, & ait illi: **Epheta**, qd est, adaperire. (est eīn **Ziui**, hoc est, imperatiuus passiuus, non uerbum graue neque hiphil, ut quidam lingua sanctæ ignari ausi sunt hic adnotare, quum non se fecerit mutus aperire) **P**incipio misit dominus digitos suos in auriculas eius, non corporaliter tantum, sed spiritaliter etiam, dum repulit omnem diaboli potestatem, qua obturata fuerant aures illius quo minus audire posset. **Hieronymus:** **D**igiti, inquit, qui in aurem eius mitruntur, uerba spiritus sunt, de quo dicitur, **D**igitus dei est hic. **Al**iam adhuc rationem reddit **Chrylostomus**, dicens: **Q**uia propter transgressionem **Adæ**, natura humana multam incurrerat passionem, ac membrorum & sensuum læsionem, ueniens **CHRISTVS** in se perfectionē demonstrauit naturæ humanæ: & propter hoc digitis aures aperuit, ut ostenderet quod diuina uirtute dicatum erat corpus diuinitati unitum & operatio eius. **V**olens hic prætereo quomodo nonnulli quinque faciūt digitos dei, quorum tres significant præcipuas tres proprietates dei, quæ tamen peculiariter tribus tribuuntur personis, cuiusmodi sunt, potentia, sapientia, & bonitas dei: quibus nimirum cælum conditum est & terra, dicente **Isaia:** **Q**uis adpendit tribus digitis molem terræ? **D**igitus quoque uirtutem designat spiritus sancti, quam operatur præcipue per dona sapientiæ. **Q**uamuis & digitus dei dicatur opus redemptionis nostræ, quomodo sponsa gloriatur digitos suos plenos esse myrrha optima. **P**ossent huiusmodi symbola penè ad infinitum extendi, sed lubens transeo, quia sunt facilia, & erudito cuique obuia. **I**mmisit autem dominus digitum suum in auriculam ipsius, qua re diabolum expulit, simulque auditum

**Hierony.**  
**Exodi. 8**  
**Chrylost.**

**Isaie. 40**

uerbi diuini ei restituit, ut posset dicere cum **Isaia**: Dominus deus aperuit mihi aures meas. Expuens quoque, terigit linguam eius. Quod sputum saporem bonum designat sapientiae, quia ex ore illa prodit altissimi, primogenita omnium creaturarum. sic & Ionathas dixit: Oculi mei illuminati sunt, eo quod gustavi modicum mellis. Admiratur factum hoc **Theophylactus**, & ait eum illud ideo fecisse, ut ostenderet omnes partes suae carnis sanctas ac diuinas esse, adeo ut & sputum solueret linguae uinculum. Quamuis enim in nobis sputum recrementum naturae est, tamen in **Christo** id quoque stupendum erat & admirandum, ac uirtutum effectiuum.

4. ¶ Dehinc suspiciens dominus in caelum, ingemuit. **Beda** it. Suscepit, inquit **Beda**, in caelum, ut inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde cunctis infirmitatibus melam doceret esse quaedam, & ut simul demonstraret se patri suo caelesti non aduersari, sicut non semel insimulant Iudaei, sed quia unus sibi esset cum patre animus & una uoluntas. Ad haec ingemuit quoque, ut & nos corporalibus oculis caelum intueremur, & intus in cordibus nostris ingemisceremus. Ita **Lazarum** resuscitaturus dominus, suscepit etiam in caelum, gratias agit patri se ab ipso exauditum. Nos quoque oculos nostros, omne propositum, totamque intentionem referamus in deum, & simul cum rege **Iosaphat** dicamus: Quum nescimus quid faciamus, hoc unum reliquum habemus, ut oculos nostros extollamus ad caelum. Recte itaque dixit **Gregorius**: Omnis **CHRISTI** actio, nostra instructio est. & quum ingemuit ille conspicatus in caelum, nos ne tardabimus respicere in caelum, maxime excitati subinde per sacerdotes, diuina celebrantes mysteria, quum dicunt, **S V R S V M C O R D A**. Et hoc nimirum est, quod hic **Beda** dicit, Ingemuit: non quia ipsi opus esset aliquid cum gemitu a patre petere, qui cuncta petentibus donat cum patre: sed ut nobis gemendi praeberet exemplum, cum uel pro nostris uel nostrorum proximorum erratibus, supernae pietatis praesidia inuocamus. Exactius adhuc expendit contextum hunc **Theophylactus**, & ait: Ingemuit fortassis, & ut

Isaie. 70

Beda.  
Ecci. 24.  
1. Reg. 24

Theoph.

Beda:

Johan. 11

2. Para. 10

Gregori.

Beda.

Theoph.

orans patrem, quo misericordia dignaretur hominem,  
 & nos docens, quod quum facturi sumus miraculum, in-  
 de miraculorum petendam uirtutem. Potest hæc tertiã  
 assignari ratio, quod condoluerit ille miserix humanæ  
 naturæ, & lapsui illius per peccatum Adæ, quo uenerat in  
 tantam diaboli seruitutem simul & potestatem, ut etiam  
 multiplicibus ipsius adfectionibus subiacerent & tormen-  
 tis. Neq; multo dissimile est, quod ait Hieronymus: Inge-  
 mit, id est, gemere nos docuit, & in cælum thesaurum  
 cordis nostri erigere, quod per gemitum compunctionis  
 intimæ friuola lætitia carnis purgatur. Et dixit Ephesæ,  
 hoc est, adaperire. Susplicere, ingemiscere, hominis erant:  
 sed auribus imperare a pertionem, & linguæ loquelam m-  
 dare, dei erant. sic Salomon inquit, **Auris** ad audiendum,  
 oculus ad uidendum, utrunq; autem fecit dominus, scilicet  
 ad scripturas & literas sacras. Sic Isatæ os dedit domi-  
 nus & aurem ne contradiceret illi, sed audiret eum: unde  
 addidit quoq; linguam doctam. Quot obsecro sunt iam  
 in terra homines, qui deum immortalem quantum indi-  
 gerent illa gratia dei? aperiunt illi quidem aures suas ad  
 lasciuas & friuolas mundi uanitates, sed ad laudem & glo-  
 riam dei, & auersionem à peccatis, ad docendum bona eti-  
 am proximos suos, ad audiendum uerbum dei, ad sus-  
 cipiendas correptiones maiorum & parentum, atque om-  
 nino ad omnia quæ salutem animæ promouent, pluresq;  
 surdi sunt & muti. Et hæc quidē in iuuenibus incipiunt, ac  
 uix tandē desinūt in senibus. Pueri priusquã loqui discant,  
 balburire incipiunt cantiones lasciuas, scommata rur-  
 pia, lusus impudicos, & nescio quid non. Quando ue-  
 ro orare debent, euangelium audire & legere, hic uerbu-  
 lum uix unum ui magna extorseris. Oremus itaque do-  
 minum, ut hic quoque gratiam nobis suam concedat, au-  
 res nobis nostras aperiat, linguas impeditas expedit ad  
 laudem suam, salutem nostram & totius ecclesiæ redi-  
 cationem. Amen.

Hierony.

Proue. 20

Isaie. 50



POST PENTECOSTEN  
HOMILIA POSTERIOR EIVS

de euangelij.

**V**enerat in hunc mundum dominus Iudæos simul  
& gentes uocare, quoniam ipse pacificatio nostra, qui fecit utraque unum, unam inquam con- *Ephē. 2*  
stituit ecclesiam ex Iudæis & gentibus. Quum itaque in  
finibus Tyri Syrophœnissæ filiam liberasset à dæmo-  
nio, nunc quoq; rursus eisset immundos spiritus à Iudæo  
quodam obfesso, surdo simul & muto. Atque ut homo ue-  
rus digirum suum inseruit auribus eius, expuir, ingemu-  
it & dixit: Epheta. statimq; apertæ sunt aures eius, & so-  
lutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Hoc  
illud erat opus magnificum & splendidum, ex quo Messis-  
am ipsum cognoscere Iudæi debebant in lege & prophe-  
tis promissum, siquidem hoc eis signum dederat *Isaię. 55*  
Isaias, dicens: Deus ipse ueniet, & saluabit nos. Tunc aperientur  
oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet  
sicut ceruus claudus, & aperra erit lingua mutorum, quia  
scisse sunt in deserto aquæ & torrentes in solitudine. *Beda.*  
Atque hic utraque natura mediatoris dei & homi-  
num distincta est, suspiciens enim in cælum, quasi homo  
ingemuit, sed mox uno sermone quasi diuina potens ma-  
iestate, sanauit. Quumq; miracula sua integra operetur  
dominus & bona, ostendit euangelista mutum hunc rec-  
te loquutum esse & expedite, quod etiam in spiritu præ-  
uidit *Isaias*, dicens: Lingua balborum uelociter loque-  
tur & plane. Quomodo autem recte loquutus sit ille, in *Isaię. 32*  
alium sensum pertrahit *Beda*, & ait: Ille solus recte loqui-  
tur, siue deum confitendo, siue alijs prædicando, cuius au- *Beda.*  
ditum ut cælestibus possit auscultare mādatis, diuina gra-  
tia referat, sic poterat iste dicere cum *Dauidē*: Domine, *Psalm. 50*  
labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tu-  
am. & rursus cum *Isaia*, Dominus dedit mihi linguam di- *Isaię. 10.*  
sertam. Atq; hæc etiam sententia *Hieronimi* est, quum *Hierony.*  
ait: Apertę sunt aures eius ad hymnos, ad cantica, ad psal-  
mos. soluitur lingua, ut ex corde eructet uerbum bonū. *Psalm. 44*  
sic, sic inquam soluta fuit lingua *Pauli*, quum uinctum se- *2. Tim. 2*

LL iij

quidem prædicaret, sed non ita, ut uerbū dei in ipso esse adligatum.

2. ¶ Ex illo autem quod uenit dominus, ne cuiquam quod factum uiderant dicerent, docebantur ipsi simul & apostoli nosq; omnes, non quærere ex factis operibusq; nostris gloriam uanā, sed in omnibus nos humiliare, neq; in aliquo efferri. Plures enim utiq; mutos & surdos sanā

**Matth. 5** rat dñs: quod quidem Matthæus cōmemorat, sed unū hūc refert Marcus, in quo plura operatus est dominus: tria nimirum simul, quia audire fecit eum, & loqui, simulq; a demonio liberauit. Et tamen ut hoc maxime magnum fuerit, ueruit adhuc dominus ne cuiquam dicerēt. Quæritur hic quidem, quare prohibuerit hoc dominus, quando mirabile uidetur hoc, quod quæ fecerat miracula, uoluerit celari: aut quia illi tamen non reticuerunt, ipsiq; sua potestate illa fecerat, an ne celare & abscondere non potuit.

**Beda post Augu.**

**Abst.** quid ergo hoc præcipiebat, nisi quia pigris uolebat ostendere, quanto studiosus, quantoque feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant? Aliamq; adhuc post reddit rationem, ut nos doceret nullum quærere honorem & gloriam temporalem ex operibus bonis quæ faciamus nos, ne mercede priuemur æterna: dicaturque tandem nobis, Amen amen dico uobis, receptis mercedem uestram. Discamus insuper hic opera nostra bona, si fuerint digna, quæ sequantur etiam alii, non posse latere, sed quacunque uia manifestanda ea esse, id ita

**Matth. 6**

disponente deo ad ædificationem proximorum. neque enim latere potest ciuitas in monte posita. Et tamen opera bona facere ad honorem & laudem dei, res pia & sancta est, præcipiente hoc ipsum domino. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est. Sicq; communis illa patrum responsio est, quia dominus id eis hic præcepit, non est ut seruarent, sed in eruditionem ipsorum & omnium nostrum, quoniam gloriola ista umbræ similitudo est. umbram quisq; fugit, hunc illa sequitur: & qui eam infectatur, hinc ipsa fugit. Ita hic licet dominus eis silentium præceperat, tamen eo magis ipsi miraculum admira-

**Matth. 5**

**Stoia.**

ti sunt & prædicarunt omnibus, sicut Thobia Raphael **Thobi. 12**  
 dixit: Opera dei manifestare & confiteri, gloriosum est.  
 & prædixit hoc Isaias, Exclamabunt uirtutem meam in **Isai. 46**  
 in gentibus. Dabant ergo illi hic laudem & gloriam  
 deo, dicentes: Omnia bene fecit, surdos audire & mutos lo  
 qui. id ipsum tu quoque in corde tuo serua, ut semp de deo  
 dicas: Omnia bene fecit, ne quid tibi sumas docere domi  
 num, patrem familiam illum antiquum ne quod corripias: ca  
 ue exprobes. potentissimus enim est ille, sapientissimus,  
 & optimus maximus dominus, cui dicere nemo potest,  
 Quare ita facis? quoniam nouit ipse uanitatem hominum, **Job. 11**  
 quam quum uidet, nonne considerat: ne quid murmure  
 mus aduersus omnem gubernationem & administratio  
 nem dei. ut maxime putemus nos, iniquè comparatum  
 esse in rebus humanis, sæpe malis optime, bonis pessime  
 omnia succedere, nec quid hic nos iudicemus, sicut Iudæi **Malac. 2**  
 fecerunt, dicentes: Omnis qui facit malum, bonus est in  
 conspectu domini, & tales ei placent. aut certe ubi est de  
 us iudicij? & deinceps, Vanus est qui seruit deo, & quod **Malac. 3**  
 emolumentum, quia custodimus præcepta eius, & peram  
 bulauimus tristes coram domino exercituum? ergo nunc  
 beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt faci  
 entes impietates, & tentauerunt deum, & salui facti sunt.  
 Inique hoc sane & impie dicitur, sicut ibidem arguit eos  
 dominus, & uisuros aliquando minatur, quod inter sit inter  
 iustos & iniustos, inter eos qui seruiunt deo, & qui deum non co **Psalm. 72**  
 lunt. Id adeo nos quoque obseruemus iuxta consilium Dau **Job. 25**  
 dis & Iob, laudem demus domino, dicentes cum illis: Quia  
 omnia bene fecit.

1. Nonnihil adhuc mysterij hic inuestigant patres  
 sancti. Surdus enim hic & mutus significat genus huma  
 num, autore Beda. Si quidem postquam homo uirulenta audi  
 uit uerba serpentis, surdus statim factus est, simul & mu  
 tus ad laudem sui creatoris. & quum colloqui cepit cum **Sene. 3**  
 diabolo, aures ipse sibi conclusit, & linguam ad exclamã  
 dam gloriam dei: sicque quando infecta ueneno erat ra  
 dix, malum inde excreuit multo deterius in ramis & fru  
 ctibus, adeo ut in aduentu filij dei, pauculis in Iudæa dem  
 ptis, uniuersus aliàs mundus erraret in cognitione

ueritatis diuinæ, infatuatus totus. Venit autem ad mare  
**Galilææ** dominus, non ignarus ubinam iaceret agri-  
 tus, quem iuuare & medicari uolebat, uenit gratia suæ bo-  
 nitatis ad mare, ad corda undis uitiorum inflata & tumi-  
 da gentium, & ibi obrulerunt ei surdum & mutum. Sed  
 quinam obtulerint id quæris? ipsi patriarchæ, prophetae,  
 & sancti angeli dei. tetigit ergo filius dei illum per carnem  
 adsumptam, siquidem non ille adprehendit angelos, sed  
 semen **Abraæ**, angelos collapsos amplius non quæsiuit,  
 sed ut ceciderant, ita perire permisit. At quomodo sana-  
 uit eum? **Digitos** gratiæ diuinæ immisit in aures eius, cum  
 se iam conuertisset ad audiendum euangelium. & per di-  
 gitos quidem significantur dona spiritus, dicente domi-  
 no: Si in digito dei eicio dæmonia, quod alius euangeli-  
 sta sic expressit, Si in spiritu dei eicio dæmonia. Deinde te-  
 rigit linguam sputo, hoc est, euangelio, ita ut deinde non  
 solo crederent corde, sed & ore confiterentur ad salutem,  
 dicentes: **Credimus in deum patrem**, creatorem cæli & ter-  
 ræ, & in **Iesum Christum** filium dei unigenitum & c. Pri-  
 us autem quam sanaret eum, conspicatus ipse in cælum,  
 ingemuit, eo ipso docere nos uolens, ut si quando ad cæle-  
 stibus gaudijs ad uoluptates mundi deuiauerimus & dese-  
 cerimus, non alia uia regressum nobis patere ad cælum,  
 nisi per gemitus, alta suspiria & magnam tristitiam, sic-  
 ut dixerunt apostoli, **Per tribulationes oportet nos intra-  
 re in regnum cælorum**. Aperto itaque ore huic muto, cœ-  
 pit ille loqui recte, & sanatus est, qui antea loqui non po-  
 terat. **Omnes gentiles idololatæ ante Christi aduentum**  
 loqui non potuerunt, dum carebant fide recta. Aut quid  
 recte loquerentur, qui tantum **Iouem, Martem, Venerem**,  
 & id genus reliquam pessimorum hominum fecem pre-  
 dijs colebant? sed nimirum post **Christi aduentum** prin-  
 ceptus mundi huius diabolus eiectus est foras, quando ido-  
 lolatria toto penè orbe exulat extorris.

4. ¶ **Docent hic Beda & Rabanus**, ex hoc euangelico  
 facto inoleuisse, quod in ecclesia sacerdos paruulum bap-  
 tizans, sputo quoque oris sui, aures, nares & linguam illius at-  
 tingat, quamuis in aliquibus diocesis non tangitur lin-  
 gua propter uerba **Ambrosij**: **Per sputum autem gustus est**

**Heb. 2**

**Matth. 15**

**Roma. 10**

**Actu. 14**

**Johan. 21**

gnificatur altissimæ sapientiæ dei. contactus narium, definiat abiectionem & repulsam uoluptatum omnium & receptionem suauissimi odoris Christi, iuxta illud Pauli, **Christi bonus odor sumus in omni loco, atque ut meminerint cum sancto Iob, quod quam diu eis spiritus inest, & spiritus in naribus eorum, ne loquantur malum in labijs suis, nec cogitent mendacium cum lingua sua. Tanguntur ei etiam aures, ne ullam audiat linguam maledicam atque malignam, sed tantum uerba Christi attendat & custodiat. Vos itaque dilectissimi in Christo fratres obsecro attendite, quando ira mundari sumus in baptismo, ut Christo iam uiuamus tantum, solerter considerare mus, si per peccatum defecimus rursus, ut renouemus munditiam aurium, quæ ante nobis data diuinitus est ad audiendam fidem, ne simus ex numero eorum, de quibus dicit Paulus, quod auertent auditum suum à ueritate. Linguam quoque nostram non minus custodiamus à malo, quoniam sanctificata est confessione fidei. Cauemus deinde lingua nostra maledicere hominibus, qua deum & Christum benedicimus. Atque ideo quando iam recte loqui didicimus in baptismo, summa nobis cura cauendum est, ne quicquam mali loquamur post baptismum.**

**Et in hunc modum etiam Gregorius dicit, Sacerdotes cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mentibus contradicunt, quid aliud faciunt, nisi quod dæmonia eiciunt? Et Rabanus: Postea tanguntur ei nares & aures de salua, & dicitur ei uerbum euangelicum, quod Iesus quando surdum & mutum sanauit, tangens cum spato linguam eius, & mittens digitos in auriculam eius, dixit, Epheta, Hic enim sacramentum hoc agitur, ut per saluam typicam & sacerdotis tactum, sapientia & uirtus diuina salutem eiusdem catechumeni operetur, sic aperiantur illi nares ad suscipiendum gustum scientiæ dei, & aures referentur ei ad audiendum uerbum dei, intellectus quoque cordis ipsius ad respondendum reddatur expeditior. Atque hæc quilibet homo consideret diligenter, quæ etiam ecclesia instituit ex instinctu spiritus sancti, quidnam externa ista signa sibi uelint, quidque significant in anima nostra, eorundem etiam**

2. Corin. 2.

Job. 27

Beda.

2. Tim. 4

Grego. c. sacerdotum de cons. dist. 4

am se quisque participem faciat, ut hic abundanter gratiam a deo accipiat, gloriam illic huberius recepturus eternam. A M E N.

## DOMINICA XIII.

POST FESTVM PENTECOS.

Euangelium Lucae X.



**I**N illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi qui uident quae uos uidetis. Dico enim uobis quod multi prophetae & reges uoluerunt uidere quae uos uidetis, & non uiderunt: & audire quae auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo uitam eternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi, Recte respondisti. hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in